



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Vita Francisci Borgiae Tertij Societatis Iesv Generalis**

**Ribadeneyra, Pedro de**

**Mogvntiae, 1603**

XVIII. Corporis forma, & mores

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45256**

duas deniq; FRANCISCVM ad-  
didisse : vt vnde viginti in vni-  
uersim Prouincias viderit.

## CAPVT XIIIX.

*Corporis forma, & mores.*

**E**LEGANS in eo forma, cor-  
porisq; dignitas imperio di-  
gna. Statura procerus erat, fa-  
cie oblonga, candore simul &  
rubore temperata. Membrorū  
ei decens habitudo, corpusque  
compactum. Frons ampla ma-  
iestatem addebat : nasus item  
aquilinus, & longus: oculorum  
orbis grandiores, colore glau-  
co: genę, & labia rubicunda. A-  
dolescens obeso admodum, &  
crasso fuit corpore: verum post  
assiduis ieiuniis, ciborumq; ab-  
stinentia à cæna temperans, ad-  
eo se ipse maceravit, vt ventris  
cutem duplicaret, & togæ instar  
Q<sup>2</sup> pellem,



pellem, quo vellet, referret; v-  
trem esse dixisses inanem. Cæ-  
terum et si integris viribus, fir-  
moq; corpore esset, & sanguine  
abundaret, ea ipsa inedia, qua  
macilentior factus, ventricu-  
lum etiam debilitarat, valetu-  
dinemque læserat. Quod humi  
prostratus horas aliquot ple-  
rumque oraret, humore hausto  
è terra, dentes illi vacillantes  
exciderunt, osq; læsum. Inedia  
etiam cacostomachos vixit, dū  
sæpe reijceret cibos, & crudita-  
te laboraret, ructus ederet assi-  
duos, non sine dolore stoma-  
chi, & medicorum admiratio-  
ne, qui morbi genus insolitum  
ignorarent. Et verò quamvis  
corporis vires afflixerat nimia  
ciborum abstinentia, morum  
tamen facilitatem, candorem,  
animiq; hilaritatem auxerat. In-  
genium



genium viuidum quidem illi, sed maturum, quietumq; mens perspicax, propere quæ vellet, suggerebat. Iudicium temperatum: memoria, thesauri instar, tenax. Honestis iam inde à puero, castisque moribus, vt leues homines fugeret facile, vitaretq; parasitos, & assentatores. Sermo illi modicus, & breuis, de necessariis tantum. Oderat officiosa verba eorum, qui aliud pectore clausum, aliud ore promptum gerunt. Si quis illum coram laudaret, sermonem mature abrumpere, sed prudenter solitus, quasi aliud agens. Tametsi verò bene de omnibus sentiret, prædicaretque, paucis tamen arcana credidit: paucioribus diuinitus visa, sensusque animi, extra eum, qui à confessionibus erat, detegebat. Quo-



rum autem fidem longo usu, experimentisq; probasset, his fide-  
re suetus, & multa indulgere.  
Falli, quam male de aliis, & ini-  
que suspicari; accipere item in-  
iuriam, quam facere malebat.  
Ingenij bonitate, supra medio-  
citatē litteras est adeptus, præ-  
sertim sacras, quibus, ut par est,  
delectabatur impensius: partim  
studio, diligentiaque, partim  
oratione pia, meditationeque  
rerum æternarum.

## CAPVT XIX.

*De scriptis ab eo editis.*

SCRIPSIT, Ducis munus  
Setiamnum sustinens, libel-  
los sex ad pietatē excolendam:  
non infrugiferos ijs, qui ad per-  
fectæ vitæ metam contende-  
rent: qui Latine in vulgus editi,  
Alphon-